I. N. I.

DISSERTATIO MEDICA
DE
APOPLEXIA,
EX
EPITOME PRAXEOS CLINICÆ

GEORGII VVOLFFGANGI VVEDELII,

HEREDITARII in Schwartza/
MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI, SERENISSIMORVM SAXONIÆ DVCVM CONSILIARII ET ARCHIATRI,
THEORETICES PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII, FACVLTATIS MEDICÆ h. t. DECANI,

EODEM PRÆSIDE,

PVBLICÆ PHILIATRORVM DISQVISITIONI SVBIECTA
a
SAMVELE GRASSIO,
Vratislauiensi Silesio,

IN AVDITORIO MEDICO,
HORIS CONSVETIS,
A. D. AVGVSTI ANNO CIↃ IↃCC VII.

IENÆ, LITTERIS KREBSIANIS.

VIRO
NOBILISSIMO AMPLISSIMO
EXCELLENTISSIMO
DOMINO
GOTTLIEB AL-
BRECHT
MEDICINÆ DOCTORI & PRA-
CTICO VRATISLAVIENSI
FELICISSIMO
IMPERIALIS LEOPOLDINÆ ACADEMIÆ
NATVRÆ CVRIOSORVM COLLEGÆ
DIGNISSIMO,
AVUNCVLO ET FAVTORI SVO
HONORATISSIMO
SPECIMEN HOC DISPVTATORIVM
CVM PERPETVÆ FELICITATIS VOTO

ea qua par eſt ſubmiſſione

Offert

dedititiſſimus

SAMVEL GRASS
Med. Stud.

Q. D. B. V.

De

Apoplexia.

QVid viua mortis imago, ſi non apoplexia eſt? Viuere apoplecticos reſpiratio teſtatur, pulſus & calor: mortuos, vel mortuis ſaltem proximos, ablata animati corporis munia. Facillimus hinc ad mortem tranſitus, neque enim niſi halitus momentum intereſt. Affectus eſt primarius, cuius cognitione etiam affectus ſoporoſi, & ipſa catalepſis facile clarent, ſi quis non ſeorſim hoſce, vt merentur, attendere velit.

Vt vero mors vel ſubito ingruit, vel certis quibusdam prodromis aduentum denunciat; ita quoque in apoplexia ſe res habet. Hinc conſiderandum eſt in praxi clinica:

An *ſenſuum* quædam *hebetudo* & *torpor* præceſſerit, an caligo vel toruitas oculorum. Actiones enim imminutæ præcedunt abolitas. An σκοτομία, inquam, ſeu ſenſus obtenebrationis in viſu, & oculis. An *aqua* ſponte ſua *ex oculis*, ſine cauſa manifeſta, profluxerit; an *ſubſidentia* palpebrarum. Singula hæc apoplexiam imminentem, vel ſaltim diſpoſitionem notant, quod locum habet tum in ſanis adhuc, diſpoſitis tamen ad apoplexiam, tum in morbis aliis.

An *grauitas capitis*, & *dolores diuturni*, *durantes* : an *stupor digitorum* vel *torpor*, ac *formicatio*, siue in manibus, siue in pedibus, vtrobique fatiscentibus quasi spiritibus, a statione sua retrocedentibus, & a munere suo cessantibus. Et id quidem sæpe aliquot annos antea accidit, quam in actum erumpat hinc malum. Serenissima quædam persona sexagenario maior, per plures annos sentiebat in digitis dextræ manus talem ἀναισθησίαν, vt comprimere arctius manum alterius posset, ad dolorem & clamorem vsque, nihil vero penitus sentiret; malo tandem in apoplexiam finito.

An *aurium sonitus diuturnior* solito, *sibilus*, *tinnitus*, *tonitru*, seu seorsim, seu inprimis cum reliquis vna spectata, a causa maxime priuatiua, spirituum defectu oriunda, dum retrocedunt & vndulant quasi, seu nutant, vnde ab extra visus & auditus præcipue considerandi; reliqua vero gustus & olfactus detrimenta minorum sunt gentium, & minori cum noxa quasi amitti seorsim, inprimis olfactus, possunt. Vidimus non paucos, per plures annos olfactu omni carentes, quosdam a febri tales redditos, quosdam inde restitutos, vt Rectorem Scholæ clarissimum, quod mirum videri potest, certum tamen est & diuerso respectu verissimum, obstrui inde posse & reserari tubulos lucidos, spirituum vectores.

An *vertigo crebrior*, ceteris paribus, & torporis, circumgyrationis, exolutionis quidam sensus sæpius se præsentet, ita, vt spirituum fiat quædam confusio; an *incubus* crebrior. An *memoria vacillet*, seu perfecta adsit obliuio, seu repetantur sæpius quæsita; an *iudicium* & *ingenium hebetius* deprehendatur, non amplius pristino vigore præsente. Sic vir primarius quidam, felici admodum iudicio alias

præ-

præditus, non minus ac memoria, hinc de illo vigore adeo remittebat, vt plane diſſimilis ſibi videretur. Idem quoque in aliis non raro vidimus.

An *laſſitudo*, an *titubatio* & mouendi vigor ceſſans; quod tum in apoplecticis, tum in paralyticis obſeruauimus, præ debilitate ſpirituum, grauiori corpore, vel eius potius præſide archeo moueri minus apto.

An *linguæ quædam impotentia, cum mentis turbatione;* ſermo enim ſupponit memoriam, id vero ſæpiſſime accidit, vt apoplexia, ſeu huius ſoror, paralyſis (quod enim illa eſt in toto, hæc in parte,) particularis ſeorſim viſatur, vel præcurrat, & triſtiora mala portendat, tanquam apoplexiæ prodromus.

An *ſubitanea*, (magis vel minus) *vniuerſalis* ἀναισθησία ſanum alias corpus prehendat, ſeu ſenſus interni & externi fatiſcant deſubito; an *ſublapſus ſimultaneus in terram, ſeu* ἀκινησία, etiam conſtanti ſenſu, vt nec pes, nec manus officium faciant, ſed, leui obſcuratione viſus & ἐκλύσει quaſi præuia, corruat corpus, nec amplius ſubſiſtere pondere ſuo poſſit. Id quod proprie & κατ᾽ ἐξοχὴν ἀπόπληξις notat, a mechanica percuſſæ victimæ, quæ ſtatim inde corruit.

An vero lenta quoque alicuius partis, v. g. digitorum præceſſerit reſolutio; an *inter eundum, ſedendum, mouendum corpus, pes* v. g. vel pars alia *ſequi renuat*, ſed flaccidiori greſſu magis trahatur, (nachſchleiffen/ den Fuß ſchleiffen/ vocant, etiam ipſis inſciis ægris) quam moueatur. An *caput nutet*, vel ad latus inclinetur, quod interdum præit, interdum etiam in leuiori malo ſeorſim contingit. Ita ſuggeſtum aſcendens Theologus, cum talem inclinationem inſuetam offerret, in eodem inter concionandum concidit apoplecticus, paucis horis poſt mortuus.

Maxime vero attendendum, an *fortis* fit, an *debilis*, feu quo gradu apoplexiæ æger correptus fit; an *primo*, v. g. a priori cum aphonia faltim, fenfibus ceteroqui quodammodo magis vel minus integris vifis; er kan fich nicht befinnen/ a pofteriori, facta per remedia, vel fponte, robore naturæ quoque, perfecta reftitutione, fine fenfus & motus deperditione, feu citra paralyfin infequentem. An *fecundo*, quod patet a priori v. g. itidem fenfu & motu ablatis, feu oculis claufis, cum fufpiriis inprimis repetitis, cum aliis dictis & dicendis; a pofteriori, fi terminetur in hemiplexiam feu paralyfin. Duo hi gradus refpectiue leuiores feu meliores, terminantur enim ad falutem.

An *tertio* gradu, quæ a priori cum anxietate, ftertore & fudore coniuncta eft; a pofteriori vero eft dubius ftatus, magisque ad mortem tendit & frequentius, ad falutem rarius. An *quarto*, quando dictum factum, knall und fall/ grauiffima apoplexia, corpus corruit, etiam fanum vifum, vt fimul & femel extremi adfint labores, vel mors ipfa, vel mortis prodromi tamen.

Sic præfectus quidam ad menfam fedens, cum vxore & liberis, bolum in prandio ingefturus, & hæc faltim proferens verba, wie gefchicht mir/ intra horæ dimidium moriebatur apoplexia, vt alia taceamus plura fimilia.

Pertinent huc fpecialia quædam alia, v. g. an *tranfitoria* fit apoplexia, & quafi primo gradu, quam inprimis illam dicere poffumus, quæ vincente natura, vel ftatim & inadvertenter in paralyfin abit, vel plenarie reftituitur mox in integrum. An *producta*, feu paulatina, deficientibus fenfim fenfibus & motu, longiori tamen tempore; feu per aliquot etiam dies, paulatino motu ad mortem tendat.

Vi-

Visi enim nobis sunt apoplectici per 3. 4. 5. 6. dies decumbentes, mortui hinc tamen. Sic & priores illi lente sæpe moriuntur.

An *apoplexia fuerit lethalis nocturna*. Visi enim sunt etiam noctu in lecto inter somnum apoplexia correpti, & imo mortui hinc mane inuenti, capite præsertim decliuiori recubante, & ad στάσιν lympha sic disposita. Dubium vero, quod & alias occurrit, etiam hoc casu potissimum se exerit, an tunc temporis apoplexia æger sit defunctus, an syncope, quod vix nisi per anatomen patet. Cum Serenissimus Princeps mane mortuus sic inuentus esset, aperto per medicos aliquot corpore, deprehensus fuit polypus in corde, qui obicem circulo vitali posuerat, vnde syncope illum mortuum, non apoplexia concludendum fuit. Ab apoplexia vero mortuis, cerebrum vel lympham, vel sanguinem extrauasatum, vel aliud ostendit, de quo optime egit *Wepferus*.

An *prima vice ægrum corripiat malum*, an *recidiuet*; sæpe enim bis vel ter insultus repetunt, donec tandem internecioni ægrum duint. Repetit vero malum inprimis circa autumnum vel hyemem, frigus quippe neruis & spiritibus inimicum. Sic B. D. Musæus, Theologus summus, apoplexia correptus, secundi gradus, curabatur perfecte ab hemiplexia, seu paralysi inde relicta; appetente vero hyeme recidiuabat, & iterum restituebatur eodem pacto; tertia vero vice rursus eadem infestatus obiit, non excitabilis amplius.

An *æger mortuo vel dormienti similis*, oculis clausis, *supino* in dorsum, vel *quocunque positu* collapsum fuerit corpus, decumbat. Non facile vero alio reperias illos positu, quam

quam in dorſum, cum hic ſitus impotentiæ librandi corpus ſit aptiſſimus, neque muſculorum robur valeat in alterutrum latus detinere machinam; an corpus punctum nihil ſentiat, ſiue aciculam adigas, ſeu vras, ſeu ſeces.

An *ſtertor* adſit, non facientibus officium ſuum muſculis pectoralibus, ſeu fibris nerueis potius; an *ſpuma ante os*, quaſi ebulliens ἄνω, quod in grauiori accidit, rarius euadentibus. An *membra laxa & mollia, minus rigida*, flaccida; an *tremor* vel *conuulſiones* adſint, quod rariſſimum in apoplecticis, ſaltim vt euadant, quale quid *Epiph. Ferdinandus* obſeruauit.

An *æger vomat;* vidimus id aliquoties in apoplexia, nonnullis ſtatim inde melius habentibus, aliis vero tanto peius prognoſticum offerentibus, prout ex debilitate naturæ vel robore id contingit.

An *ſphinctere reſoluto, veſica vel etiam alvus, ſponte & inuoluntarie laxetur;* quod vtplurimum malum eſt omen, neruos officio ſuo exolutos oſtendens. Vir primarius, ab apoplexia in paralyſin deflectente, procidentia ani laborabat, chronica & ad mortem comitante.

Quis *faciei color*, an a ſe mutatus æger, facie ſeu vultu cadaueroſo, multum diſſimilis, an vero ſemper idem, immutatus. Maxime enim a ſyncopticis diſtinguendi ſunt apoplectici, hoc ipſo, quod præter reſpirationem, faciem magis floridam & roſeam hi retineant, illi cadaueroſam offerant.

Quomodo *reſpiratio* habeat, an facilius, an difficilius, æqualiter vel inæqualiter procedat. Ex huius enim ſtatu de grauitate vel leuitate morbi magis ſolet iudicari; licet ſigna illa, quoad hoc, magis coniunctim ſpectanda ſint.

An

An *ſuſpiria* quandoque ducat æger, quod ipſum quoque vidimus, indicio ſpirituum depreſſorum. An *anxietas*, *toruitas* oculorum cum ſtupore ſummo. An oculis clauſis, *ore biante* ducat ſpiritum, ſenſu & motu ablatis, lympha in coagulum vergente, vel deficiente penitus, lingua areſcente. Ita moriebatur vir LVI. annorum ante aliquot annos, fruſtra tentatis omnibus, vt prædixeramus.

Quænam *prægreſſa* ſint; an *euacuationes* quædam *conſuetæ*, vel alias quaſi criticæ ſuppreſſæ; an *ſudores* noctu fluere conſueti emanſerint, quod bis vidimus, breui, ſed funeſto exitu; an *hæmorrhoides* fluere ſolitæ ſubſtiterint; an *arthritis*, *hæmorrhagia* narium non redierint, an *ſcabies*, vlceraque alia antiqua fluere dudum ſolita conſolidata ceſſauerint, vel retropulſa fuerint. Illa omnia enim naturæ maxime aduerſa. Idem de variolis ipſis valet retrocedentibus, vel ſubſiſtere non valentibus.

An *vaporibus cubiculi recens calce illiti*, vaporibus *carbonum*, de quo vid. *Langius in epiſt. Cheneau in Obſeru.* & alii; an *cereuiſiæ* recentis, *muſti* repleti, debeatur occaſio. An ira, terror, vel commotiones animi aliæ prægreſſæ fortiores. Iuriſconſultus ſexagenario maior, cum de filii facto, qui occiderat alterum, certior redditus eſſet, altero die correptus apoplexia, tertio moriebatur.

An vigiliæ ſeniles conſtantes & rebelles, an ſtatus auſtrinus, 3. *aphoriſm. 16.* an frigus cellarum ſubterranearum, an iniuriæ externæ aliæ, vt *caſus* ab alto in caput, an *vulnera* & *percuſſiones*, vti apoplexiam talem obſeruauimus a ſclopeto, exploſa charta & ad principium ſpinalis medullæ miſſa; in alio hemiplexiam cum motibus conuulſiuis alternantem lethalem. An venus intempeſtiue celebrata in ſenili

corpore, qualia exempla recenset *Heer in obs. 39. & 41.* De colapho inflicto, vid. *Hildanus*. An *ebrietas* frequentior & fortior, nam & hoc ebriosorum flagellum est, præcipue corpulentiorum.

An *æger plethoricus, obesus* vel *gracilis*, nec hic enim habitus exemptus est, an *catarrhis laborauerit*, vel hi diu non fluxerint, quibus enim catatrhi depluunt, eo ipso stante minus apoplexia corripiuntur, & contra; forti vero plethora laborantes frequentius rupto in cerebro vasculo, vel obstructione & grumescentia inducta id experiuntur, quibus ob onerositatem familiaris est affectus præ aliis.

An *putrilago visceris alicuius* coniuncta, seu lienis inprimis, seu hepatis, qua de, præter *Sponium*, pauci fecere mentionem, eo enim casu apoplexia fit nonnunquam comitata, etiam cum febri spuria, nonnunquam symptomatica. Qui *morbi præcesserint alii;* Ita qui senes mictu cruento laborant, vtplurimum hinc moriuntur apoplexia, sanguinis circulatione deficiente, illoque hinc ad cerebrum regurgitante & στάσιν affectante. Frequens idem accidit scorbuticis & hypochondriacis, vt vel ad hydropem vel apoplexiam sint dispositi.

Qua *ætate* sit æger, ætas enim a 40. ad 60. annum maxime huc facit, *6. aphorism. 57.* adeoque an *senex*, nam his quasi proprium est malum, ita tamen, ne cum aliis morbis confundatur. Non enim sufficit argumentatio: senex corripitur morbo, ergo apoplexia est affectus, quo laborat. Vtut enim præsumptio sit ætatis, illa tamen non ita propria est, quin & aliis morbis senes corripiantur toto die, ac moriantur quoque, vel euadant. Hinc nouimus senem pleuriticum pro apoplectico curatum mortuum.

An *tumor*, *paralysis*, *dolor* superueniat; media secundum quid & respectiue bona est, reliqua per se magis, ceteris tamen paribus; an *tremor*, quod malum, & *conuulsiones*.

An *sudor* stertori & aliis iungatur, resolutionis & succumbentis naturæ vtplurimum signum. Inprimis vero an æger sit *excitabilis*, nec ne, inclamatus audiat, punctus sentiat, nec ne; in eo enim omnis spei versatur cardo. Nisi ad se redeat, vel redigi possit, lethalis omnis apoplexia.

An *pulsus magnus* & *tardus*, vel mutatus saltem. Est & hoc distinctiuum signum certum apoplexiæ a syncope, in qua nullus pulsus vel debilissimus offenditur. Falli in hoc sæpe potest medicus, si pulsui soli fidat: valet enim & hic quam maxime, (imo magis quam in febribus malignis, vbi frequentia fallit magis,) vrina bona, pulsus bonus, æger moritur. Cum enim viscus pulsificum, & principale alterum cor saluum sit, hæc quidem ita contingunt, ast minus fido signo, sed, vtpote communi, postponendo aliis propriis. Melior tamen est dictus, quam alius ex malorum genere.

An *pulsus celer* fiat, & febris superueniat, quam *Hippocrates* pluribus in locis soluere apoplexiam scribit, indicio, archeum roboratum expedire obstructiones, torpentes spiritus iterum in motum actos, & dissipari heterogeneum opplens, lympham in coagulum abientem: puta, si excitabilis sit apoplecticus. Sin minus, pulsus sensim increscit, & frequens redditur cum aliquo calore, renitentis & agonisantis archei signo, frustra inde sperato bono euentu.

Præsupposito ergo, in apoplexia circulationem, euolutionem, & irradiationem spirituum animalium in cerebro esse impeditam, tum quoad poros, & tubulos lucidos ob-

ſtructos, tum quoad extimos caudices, ſeu baſin cerebri, radicem neruorum, vnde, στάσει illa ſua, totam deſtituunt machinam, inertem reddentes, non influunt; & conſequenter vehicula eorundem, inprimis lympham male habere, & vna affecta eſſe; nec neruos officio ſuo amplius fungi, quod ipſum in diuerſis paulo gradibus de affinibus affectibus ſoporoſis quoque valet, lethargo, caro, comate, (quorum hinc eadem quaſi ſimul concipi poteſt curatio,) diſtinctis tamen.

Hinc I. *ſopitus archeus excitandus eſt*; i. e. ſpiritus & lympham iuxta ac ſanguinem in motum citare oportet. Excitatur concuſſionibus corporis, & agitatione, vt ſenſus redeat; excitatur inclamationibus in aurem, frictionibus fortioribus extremorum, cum pannis calidis, aſperis, admotis adminiſtrandis; inprimis pedes & eorum plantæ debent fortiſſime fricari, quo & ſal toſtum, ſpiritus apoplecticus, excutia, (quæ reliquis omnibus fere præſtat, ſi quid ſpei ſuperat, externis,) & alia impendi queunt.

Hic vero memorandum quoque eſt de illis, quæ hunc in finem minus conſulto æque adhibentur; non excitantur ſcilicet commode æque vellicatione pilorum circa pudenda, id enim cum contra bonos mores ſit, & ob adſtantes non æque liceat, ac ſuſpicionem ſiniſtram de medicò mouere queat, ſeu vir ſit, ſeu fœmina, vel intermittendum, vel cum cautela maxima faciendum iubendumue; de barba tamen id valet, quod in ebrioſo pro apoplectico habito fecit *Heerius*.

Non æque locum habent punctiones cum acicula profundiores, facile enim punctura illa læſio induci poteſt grauior; nec ligaturæ fortes, quas vulgo commendant, cum

iam

iam dum tardius moueatur ſanguis & ſpiritus vitalis ad partes, niſi itidem ad dolorem habeatur reſpectus, & ſtatim iterum ſoluantur.

Excitatur *clyſteribus* fortioribus, inprimis ſi moram det morbi ſtatus. Vtut enim venæſectioni commode præmitti clyſter, adeoque hic prius applicandus videatur, nihilominus tamen, quando fortiſſima eſt apoplexia, & periculum in mora, id quoque differendum eſt, & venæſectio potius prior inſtituenda, ne interea, dum apparatus fit, æger moriatur, quod obſeruatum aliquando eſt. Excitat enim & ipſa venæſectio ſuo loco, & ſæpe hæc duo vnice habent locum, vel adhiberi ſolum queunt.

Hinc purgantia dupla quoque doſi addi poſſunt, & colocynthiaca hic locum inueniunt; hinc repetendi iidem, & videndum, an reddantur iterum, nec ne. Si enim id non fiat, ſignum eſt quaſi ablatæ facultatis, quæ ſtimulum illum non ſentiat, vnde & ſuppoſitoriis fortioribus locus eſt, & reſiduum caput mortuum clyſteris, a decoctione ſcilicet ſpecierum, in formam cataplaſmatis coquendo in pultem, applicari, quod B. Mœbius ſemel iterumque cum ſucceſſu præſtitit, & in aliis quoque caſibus adhiberi poteſt.

Excitatur *ſternutatoriis*, & *errhinis* volatilibus, vrinoſis & oleoſis, quando ſcilicet ægrotus vocatus, vt diximus, nihil ſentit, inſtar ſtipitis, vnde pulueres ſternutatorii ex floribus liliorum conuallium, ambra, helleboro albo, ſpeciebus diamaioranæ, diatabaci Mynſ. & alia poſſunt inflari naribus: addi etiam caſtoreum. Eſt vero & id malum omen, ſi ptarmica talia non operentur, nec aculeis ſuis ita feriant fibrillas narium, vt diſploſio fiat, & contra.

Excitantur *volatilibus* oleoſis vrinoſis dictis, diſtinctim, & con-

coniunctim, partim naribus appositis, partim linguæ illitis, partim intus propinatis, ex seqq. Talia sunt spiritus apoplectici, castorei, aqua Anhaltina, carfunculi aurea, vel quæ alia sunt ad manus; inprimis vero spiritus salis ammoniaci volatilis vrinosus, qui est instar omnium, quia tum excitat, tum poros reserat, seu simplex, fortissimus, & bonæ notæ, in vulgus hodie notus, seu mixtus cum spiritu apoplectico. Idem præstant etiam suo loco balsama apoplectica, balsama cephalica camphorata, & ex simplicibus caryophylli, cubebæ masticatæ &c. Aromatica enim pollent vi subtili & penetrante, & sunt euporista. Vulgo vero prostantes aquæ apoplecticæ viliores sunt fere, vel spiritui vini suas vires solum debentes.

Excitatur *emeticis* ac aliis irritantibus ac stimulantibus. Vtut enim de vomitoriis litigent autores, non conuenire eadem in apoplexia rati, quod deglutire emetica nequeant, quod metum incutiant suffocationis, quod vires sint maxime debiles; nihilominus experientia testata est, sæpenumero ea vsui fuisse, cum præsertim constet, maximum esse consensum ventriculi cum cerebro; cum etiam constet, iuuari & excitari hoc modo naturam, tum ad euacuandam materiam, tum dissipandam, cum duro nodo durus debeatur cuneus. Prouide tamen id ipsum fiat, non empirice, vel promiscue, præcipue vero, quando præcessit ingluuies, & materia hæret in ventriculo vitiosa, a cibo non ita pridem sumto accidat morbus, apoplexia non sit fortissima, & deglutitio ac respiratio non adeo difficilis; non vomat, non stertat, nec aliud quid contraindicans grauius adsit.

Ita enim obseruauimus etiam ab inuncta casu theriaca

vo-

vomitu ſe liberaſſe naturam in apoplectico in publico foro concidente; in aliis robuſtioribus vomitu ſpontaneo, non tamen ab extremo conatu & reſolutione oriundo. In aliis dato emetico, in apoplexia leuiori, in aphonia, ſeu apolepſia, in primo vel ſecundo gradu, aliquoties cum ſuceſſu dedimus tartarum emeticum, ægris perfecte & quibusdam etiam citra paralyſin hinc reſtitutis, & paulo poſt ad labores redeuntibus.

Vir LXIII. ann. apoplectico inſultu correptus leuiori, vel medio potius, cum loqui non poſſet, niſi incondita, nec noſſet adſtantes notiſſimos, nec linguam poſſet porrigere ad venam ſecandam, a dato emetico intra ſex horas ſibi reddebatur, admiſſa hinc venæ ſectione ſub lingua, & paralyſi dextri brachii ſecuta.

Excitantur denique, ſi excitati vel in paroxyſmum lapſuri quouis modo moueantur, circumducantur, & diuertantur, ne indormiant ægri. Cum enim plerumque, vel non raro, ſint propenſi in ſomnum, ſumma cura & ſtudio arcendi ſunt, quippe ſomnus ϛάσιν & obſtructionem, vel archei ſolum actiuitatem minorem promouet. Omnia quæ diuertunt, excitant, obiecta læta, grata, vel ſaltim commouentia ſpiritus, non terrifica tamen nimis, magis concentrantia. Sic apud *Horatium* lethargicus quidam ſimulata pecuniæ ablatione excitatus legitur.

II. *Pori cerebri & neruorum reſerandi, adeoque ſpirituum & lymphæ ϛάσις quouis modo expedienda eſt.* Reſerantur mediate ϛάσιν ſanguinis & ſeri corrigente venæ ſectione. Hanc & *Hippocrates* commendat, *l. de victu acut. cap. 37. t. 2.* quod æquale, proportionatumque morbo iudicatur remedium, *Celſusque* & alii vnicam ſpem non immerito in huius adhibitione locant.

Vena

Vena ſecanda eſt præcipue in plethoricis, quos eminentius iuuat, imo in non plethoricis, ſeu minus talibus, ex proportione ipſius cuiuscunque indiuidui, ſanguinis, & pro reuulſione, & deriuatione inſtitui poteſt, etiam præſeruatiue, præcipue & quia adeſt aliquando etiam reſpiratio aliquo modo difficilis. Dum enim ſanguis non poteſt rite circulari, reſtagnat in pectore, reſtagnat in vaſis cerebri, vnde hoc pacto per mechanicam euocato ſanguine in partibus inferioribus, brachio vel pedibus, στάσιν illam ceſſare oportet, ſaltim ex parte; vnde mature id fieri debet.

Demonſtrat hunc vſum experientia etiam in apoplexia particulari, in ἀναυδίᾳ, ſeu loquelæ impotentia, ex eodem fundamento. Hanc aliquoties ſectione venarum ſublingualium extemplo curauimus, vnde etiam laudem & commendationem maximam meretur. Cauendum vero, quantum fieri poteſt, ne in latere affecto paralytico fiat; quare ſi certi de eo ſimus, tanto magis proſpiciendum; ſin minus, probe arguendum vel coniectandum prius de loco hoc.

Reſtaurantur *cephalicis ſpirituoſis & aliis volatilibus.* Hinc aquæ apoplecticæ ſunt commodiſſimæ, tum pro hoc fine, tum pro roboratione ſpirituum, de quo poſt; ita tamen, ne quid nimis, ne vſu horum vaporoſorum & calidiorum exceſſiuo poros magis obſtruamus, nec calor temere intendatur. Incidunt enim, attenuant, penetrantiſſimæ ſunt, & fluxilitatem ſanguini & ſero inducunt. Vtimur hiſce inprimis in paroxyſmo, infuſo vel propinato cochleari vno, vel altero, ſi temperata fuerit, & ad odorandum exhibita. Talis vero eſt aqua apoplectica N. O. Mynſ. Rolf. Sennerti, & aliorum. Aſt cum hodie ſint vulgatiſſimæ, ſolemus illam acuere modo ſolo oleo ſpicæ nardi ſeu lauendulæ vero,

quod

quod optimum eſt, & baſin cum floribus liliorum conuallium & aromatibus eidem præbet; modo ſpiritu ſalis ammoniaci vrinoſo, modo vtrisque, vt & eſſentia caſtorei ſeorſim, vel coniunctim.

Cumque poſt ſe aliquem ardorem, φλόγωσιν, caliditatem relinquant, hinc temperata acidula ſubiungenda, imo in calidis quoque inprimis temperatiores præ calidioribus conueniunt. Par ratio eſt balſami vitæ, Anglici, Schröderi, aquæ Anhaltinæ & aliorum, quo nomine & aqua Reginæ Hungariæ, ſeu ſpiritus florum roſmarini, vulgatiſſimo eſt in vſu.

Referantur omnibus mobilitatem ſpiritibus, & fluxilitatem eorundem vehiculo, inferentibus, inprimis vero poros ſimul aperientibus, vrinoſis, acidis volatilibus, caſtorinis. Hinc conueniunt ſpiritus & ſal volatile eboris, cornu cerui, cranii, & ſanguinis humani ſuccini liquor cephalicus, ex ſpiritu ſalis ammoniaci cum ſpiritu liliorum conuallium, liquor cornu cerui ſuccinatus, tinctura bezoardica Michaelis camphorata, oleum cubebarum, cum tinctura tartari ſimplici, vel ſpiritu ſalis ammoniaci vinoſo, in eſſentiam redactum, ſpiritus & eſſentia caſtorei, ſimplex & volatilis, & caſtoreum quouis modo vſurpatum, ſpiritus item vitrioli volatilis cephalicus, ſpiritus cranii humani vitriolatus, quem *Simon Pauli* in apoplexia & epilepſia probatiſſimum recte aſſerit, in *quadripart. p.366.*

Sic in apoplexia producta, qua æger XLIX. annorum correptus erat, cum ronchis & ſudore, oculis clauſis, dedimus liquoris ceph. gtt. XX. vt & puluerem cephalicum ex cinabaris ℈ij. pulu. bezoard. cor. a. ℈j. cum ſulphuris antimonii puri gr. v. per vices, cum ſucceſſu.

Referantur *curcubitulis ſiccis*, vel quaſi talibus, adhibitis, tum ipſi vertici, vnde etiam huic abraſo quidam veſicatoria cum ſucceſſu applicarunt, vid. *Heer. obſ. 21. p. 245.* tum in nucha, qualis obſeruatio apud ipſum *Rhaſen* extat, qui fecit ventoſam apponi Regi Hamech in collo, & velociter liberatus eſt. De cucurbitula bregmati applicanda notum eſt experimentum Fracaſtorii. Quo enim remedio olim monialem virginem curauerat, idem apoplexia correptus, manu ſæpius in verticem exporrecta, innuere voluiſſe fertur applicandum, ſed non intellectus expirauit. Vid. eius vita, & *Rolf. Ord. & Meth. comm. p. 345.*

Nimirum ad ſoluendam pituitam illam, ſeu ſerum in coagulum ςάσει ſua abiens, remedium aptius ſæpe non inuenitur hoc ipſo, vnde iuſſimus ferro candente occluſo cum ſucceſſu, interpoſita charta, læuigari caput in ruſtico, qui apoplecticus conciderat in cœmiterio, iam olim; in ſtudioſo item, qui per noctem & diem integrum deſideratus, apoplecticus apertis foribus in lecto reperiebatur, & aliis pluribus. Sic etiam vnguentum martiatum & neruinum, cum oleis deſtillatis, cum eſſentia & pinguedine caſtorei &c. commode ſpinæ dorſali inungitur, ac nuchæ.

Referantur etiam particulares obſtructi linguæ pori ſpiritu apoplectico acuato, ſinapi, pyrethro, cubebis, tinctura odontalgica noſtra, & aliis maſticatoriis, foliis roſmarini recentibus, caryophyllis, cardamomis &c.

Referantur *odoriferis* ex aceto rutaceo, liliorum conuallium, caſtorei, ſpiritu ſalis ammoniaci, balſamo apoplectico Crollii, Michaelis, Mynſ. laudatis, oleo ſuccini, naribus & linguæ illitis, &c. cum odores & cum cerebri incolis, ſpiritibus animalibus, immediatum habeant contactum.

Tandem III. *ſpiritus reſtaurandi & roborandi ſunt*, vt vigore

gore ſuo impulſiuo, elaſtico, polleant, cum præ penuria, præ debilitate, phlegmati immerſi illud vappeſcens quaſi & ſtagnans reddant, nec ſufficienti copia præeſſe ſuis muniis, & nervos tanquam alueos & tubulos ſuos irradiare poſſint. Valet id præcipue in ſenibus, vel aliis debilioribus, quando cerebrum pauciores & debiliores ſpiritus ſuggerit: idque tum præſeruandi, tum curandi vſu. Seni LXXI. annorum indicia imminentis apoplexiæ exhibenti, ſæpius lingua, dextro pede & manu quaſi iam reſolutis, præſcripſimus, præter alia, puluerem ex ſpeciebus diambræ cum ambra, diamoſchi dulcis, cum cubebis, lapide ſapphiro occidentali, cinnabari natiua a. ʒj. pro aliquot doſibus, ad ℈ß. gr.XV. ℈j. bis ter in hebdomade, vt exterius aquæ apoplecticæ ʒvj. olei ſpicæ nardi veri gtt.vj. ſpiritus ſalis ammoniaci d.opt.ʒj. ij. Laudari etiam meretur puluis apoplecticus Vinarienſis, & aliorum.

Reſtaurant ſpiritus tum iam dicta plura, tum inprimis *balſamica*, & ſale volatili oleoſo ſuaui, blando, pollentia, vt ambra & exinde præparata eſſentia, rotulæ, ſpecies, quinta eſſentia Matthioli, infuſa cephalica ex roſmarino, ſaluia, chamædry, chamæpity, &c. eſſentiæ plantarum cephalicarum, roſmarini, pæoniæ, ligni aloes, elixir cephalicum, tinctura lunæ, electuaria confortantia, confect. alkermes, tinctura corall. cum ſpiritu lign. vel alia, medicamenta ex ſuccino, ipſumque hoc in puluere, cum aliis, magiſterium, eſſentia, eiusque ſal volatile, pilulæ ex ladano Hartm. morſuli, rotulæ, pulueres antapoplectici, reſina agallochi, vinum ipſum, lac ſenum &c.

Reſtaurant *abſorbentia cinnabarina*, quæ acidum figens & coagulum lymphæ reſpiciunt, ſpiritusqne ſerenant ſimul, & luculam conſeruant ac fœnerant, vt cinnabaris natiua, & antimonii, cum magiſterio coralliorum, cranii humani, cornu alces, cerui philoſophico, ſmaragdo, ſpecies de gemmis,

diamarg. fr. vel cal. diaxyloaloes, ſpecificum cephal. Craton. Hartm. Quercet. Michael. puluis epilepticus Marchion. non omiſſis oleoſis, & aliis.

Reſtaurant *ſtomachica* & *antihypochondriaca*, quæ ſerum acetoſum vappeſcens corrigunt, vnde coriandrum, pulueres peptici, ſtomachalis Quercet. & martialia ipſa, inprimis tinctura martis balſamica, helleborata, volatilis, cœrulea; cum liquore cephalico mixta, & alia, profunt; item ſuo modo ipſa quoque purgantia, & lenientia, lymphæ laudatum coagulum auertentia & educentia; ad præſeruationem ſimiliter & curationem.

Reſtaurant cucuphæ ex plantis cephalicis aromatibusque ſuauibus paratæ, geſtatæ; (quibus in lapſis ab alto ſacculi ex plantis cephalicis cum vino cocti paria faciunt,) ne balſama apoplectica, temporibus, naribus, pulſibus, cordi, ſcrobiculo cordis, plantis pedum, linguæ inuncta repetamus.

Præſtat maxime in talibus caſibus ſubitaneis inuigilare ſanitati, nuſquam enim minus tuta fides, quam in ſenibus, in diſpoſitis aliis, in præſentibus prodromis, in ſemel iam correptis. Non ſolum iura, ſed & remedia vigilantibus ſcripta ſunt. Quotidie moriendum, tum omnibus Chriſtianis, tum maxime ſanitatis etiam corporis ſtudioſis, ne imparatos prehendat apoplexia.

Corollarii loco vix capere licet aſſertum *Walæi meth. med. p. 17*: in hepatitide ſeu inflammatione iecoris derelicta cauſa ipſum morbum, incendium illud, extingues, alias oritur apoplexia.

Roborant tandem ex diæta commoda præſidia, & vſus vini, vitatis vaporoſis, cepis, abſinthiacis, groſſioribus aliis, aere frigido, & ſimilibus, aliunde huc referendis, pluribus.

SOLI DEO GLORIA!